

Miscell. A. 223.

NEI
PARENTALI
DI
G. B. BODONI

Dono dell'Autore

(ESTRATTO)



SALUZZO

COI TIPI DELL'ANTICA TIPOGRAFIA
FRATELLI LOBETTI BODONI

MCMXIII.

HECTOR STAMPINI MARIO LOBETTI-BODONI

Litterarum doctori, s. p. d.

Quod me semel iterumque rogavisti, ut ad te aliquid a me latine scriptum mitterem, quod cum complurium doctorum virorum scriptis in eo libro ederetur, quem Ioannes Lobetti-Bodoni, frater tuus patruelis, officinator librarius Salutiensis in primis nobilis, honori et memoriae Ioannis Baptistae Bodoni dicare instituisset, id tibi amplius denegare non ausus sum. Nam et mihi videbar humanitati vestrae parum respondere, si in recusatione pertinacissime perseverarem; et vehementer verebar, ne gloriam viri immortalis, cuius nomine domus vestra ornatur, quodammodo despicerem, si operam meam, qualiscumque esse potest, ad eius amplitudinem ac paene divinam praestantiam commemorandam conferre dubitarem, praesertim cum semper persuasissimum habuissem, Ioannem Baptistam Bodoni, qui de Itatorum arte typographica tantopere meritus esset, ut non solum a regibus typographus adscisceretur, sed etiam verissimo cognomine typographorum rex appellaretur, prae-

clarum, luculentum, insuperabile magnificae et vere italicae artis exemplar posteris tradidisse. Quod dolendum est officinatores librarios aetatis nostrae saepe oblitos esse, librosque foras dedisse litterarum notis aut rudibus aut deformibus aut insolitis aut parum perspicuis descriptos, iustis spatiis neglectis, omni apta compositione, omni congruentia contempta; quemadmodum passim in aedificiorum frontibus, in hominum amplissimorum vel rerum gestarum illustrium monumentis tabulas marmoreas et aeneas videmus, tam artificiosis et lascivis et putidis, nonnumquam autem tam implicatis et prave distortis litteris inscriptas, ut has ad oculorum aciem turpiter compungendam atque in omnium bonarum artium praeceptorum contemptum inventas esse credas. Profecto sunt qui putent, Bodoni in eo culpandum esse, quod tantum ad magnifica operis sumptuosissimi volumina edenda spectaverit, nec, dummodo prelis grande aliquod industriae suae documentum committeret, quicquam pensi habuerit; quod eius opera ad optimarum artium studia provehenda atque ad scripta hominum litteratorum doctorumque in vulgus efferenda nullam omnino vim habuerit. Quorum opinionem minuendam esse censebunt, qui considerent de Ioanne Baptista Bodoni in re typographica longe aliter esse existimandum. Mihi enim verissimum illud esse videtur, quod scriptum legimus apud Dino Mantovani, virum clarissimum nuper acerbissimo fato doctrinae studiis, collegis, discipulis,

amicis praereptum, in mensuris commentariis, qui inscribuntur *La lettura*. Dent operam – id enim votis expetebat amicus meus – omnes qui apud nos litterarum notas delineant, qui incidunt, qui cudunt, qui conflant; dent operam qui ad rerum urbanarum acta, ad commentarios, libros, libellos, ad cetera denique scripta typis mandanda machinas adhibent; qui poetarum, qui doctorum hominum opera edenda curant, ut ex his saecularibus, tanto viro commemorando decretis et sollemniter celebratis, aliquid ad patriae nostrae fructum redundet. Multum enim ii ad communem utilitatem conferent, si artem librariam in pristinam Italarum consuetudinem revocaverint; si magnificas illas, simplices, firmas, politas Bodoniana scripturae formas in lucem reduxerint; quae, cum ad nostrorum temporum progressus accommodari possint, ad eaque omnia aptissime convenient, quae nunc in re libraria machinali arte effici solent, hoc etiam ceteris praestant, quod et sunt decorae et venustae et compositae et nigro colore speciosae, et – quod mihi maximi momenti et ponderis esse videtur – Italarum moribus institutisque consentaneae.

Tu vero, discipule mi, hanc inscriptionem, qua insignia immortalis viri in artem typographicam merita adumbrare studui, benigna fronte accipe et vale.

Augusta Taurinorum, Kal. Septemb.

HONORI . ET . MEMORIAE

IOANNIS . BAPTISTAE . BODONI

QVI . NATVS . SALVTIS . A . D . V . KAL . MAR . AN . MDCCXL
PRIMUM . IN . PATRIA . DEINDE . ROMAE . ARTEM . TYPOGRAPHICAM . EXERCVIT
CVM . TANDEM . PARMAM . ACCITVS

OFFICINAE . LIBRARIAE . AVLICAE . PRAEFECTVS . ESSET

BREVI . AD . EAM . EXCELLENTIAM . PERVENIT

VT . PRAESTANTISSIMI . CVIVSQVE . AETATIS . SVAE . TYPOGRAPHI
FAMAM . OBSCVRARET

CVM . VERO . ET . OMNIA . CONSILIA . ET . OMNIA . FACTA

AD . ARTIS . SVAE . DIGNITATEM . REFERRE . STVDVISSET

IPSE . LITTERARVM . SERIEM

CVM . ITALICIS . TVM . ROTVNDIS . ET . QVADRATIS . NOTIS

COMPOSITISSIMAM . ET . CLARISSIMAM . DELINEAVIT

IPSE . STILOS . LITTERIS . IMPRIMENDIS . EXSTRVCTOS . INCIDIT

IPSE . EX . IMPRESSIS . LITTERARVM . EXEMPLARIBVS

QVAE . RELIGIOSISSE . RETRACTABAT . ET . PERPOLIEBAT

MOBILES . FORMAS . IGNI . CONFLATAS . ELICVIT

IPSE . TOT . GENTIVM . LINGVARVM . ELEMENTA

NOVIS . TYPIS . EFFICTA

IN . OFFICINAE . INSTRVMENTVM . INVEXIT

VT . ORATIONEM . DOMINICAM . CLV . LINGVIS . DESCRIPTAM . EDIDERIT

IPSE . LIBRARIA . ATRAMENTA . CORRIGENS . NIGERRIMA . EFFECIT

IPSE . FORMAS . SVAS . SAPIENTISSIME . DISPOSITAS . PRELIS . SVBIECIT

CVM . AD . SPATIA . LITTERARVM . ET . INTERVALLA . VERSVVM

TANTAM . DILIGENTIAM . CONFERRET

VT . ET . INTER . SE . QVAM . APTISSIME . CONGRVERENT

ET . AD . PAGINARVM . SCRIPTVRAS . AC . MARGINES . RESPONDERENT

FRONTES . AVTEM . LIBRORVM

QVASI . FRONTES . AEDIVM . REGIARVM

TAM . SCITA . PARTIVM . COMPOSITIONE . DISTINXIT

VT . AD . OPTIMAE . CVIVSQVE . INSCRIPTIONIS . IN . MARMORE . INCISAE

CONGRVENTIAM . AEQVALITATEM . DECOREM . PROXIME . ACCEDERENT

MANET . ET . SEMPER . MANEBIT

MAGNIFICENTISSIMAE . ET . VERE . ITALICAE . ARTIS

INSVPERABILE . EXEMPLAR

OBIT . PARMAE . PRID . KAL . DECEMB . AN . MDCCCXIII

Scripsit Hector Stampini.

11331